Diss. jur. 35

EXERCITATIO
JURIS PUBLICI
DE
Justis Advocatiæ Cæsareæ Limitibus.

§. I.

ADVOCATIA, ceu hujatis Argumentum Dissertationis, pro *objecto* habere dignoscitur non tàm *Jus* quàm *Obligationem* DIGNITATI IMPERATORIÆ cohærentem, ECCLESIAM CHRISTIANAM cum CAPITE ejus àc MEMBRIS in *Juribus* justisque *Possessionibus* suis, contra quoscunque tuendi fortiterque perpetuò defendendi. Uti verò singulis IMPERATORIBUS CHRISTIANIS, sic augustissimo præsertim ROMANORUM IMPERATORI hæc obligatio incumbit: I. Vi suscepti *Muneris*, II. ratione *Æquitatis naturalis*, III. ipso demùm *Divini juris* vigore, quatenùs idem DOMINANTIUM DOMINUS, per quem *Reges* regnant Principes imperant, mandat, ut justa cuilibet, SUÆ consequenter potissimùm ECCLESIÆ ejusque *Ministris* ritè tribuantur.

§. II.

Vnde à CONSTANTINO M. qui primus inter CÆSARES fuit *christianus*, cæteri tantùm non omnes augustissimi *Imperatores* se ECCLESIÆ ADVOCATOS PROTECTORES & DEFENSORES (der Christlichen Kirche Schutz- und Schirm-Vogt) nomine atque omine professi leguntur, præterquàm quod à tempore CAROLI M. ad ipsam ECCLESIÆ ADVOCATIAM spontaneo sese jurejurando arctiori quasi vinculo obligare adsueverint, donec adeò jàm inde à CAROLI V. temporibus ad eandem solemniori jurisjurandi religione per CAPITULATIONES àb ELECTORIBUS propositas absolutè fuerunt adstricti, ut proinde nullum supersit dubium, quin hoc ipso, quod *Imperii Solium* conscendant, MUNUSque CÆSAREUM in se suscipiant, simùl ECCLESIÆ atque omnis Christiani Populi Tutores, Defensores, atque Advocati esse incipiant, *debeantque incunctanter advertere, Regiam potestatem iis non solùm ad Mundi Regimen, sed maximè ad Ecclesiæ Præsidium esse collatam*, teste S. AURELIO AUGUSTINO in Epist. 7. ad LEONEM Orient. Imp.

§. III.

Hæc ADVOCATIA penès *Cæsaream* residens *Majestatem*, tripliciter venit consideranda: I. Tanquàm VNIVERSALIS, quatenùs latissimè provehitur in Defensionem *veræ Christi Ecclesiæ* contra quoscunque etiàm exteros *Religionis Romano-Catholicæ* Hostes, IMPERATORI nostro præ cæteris *Regi-*

bus

1371 398 01

bus christianis eminenter atque ipso *Juris Gentium Europæi* vigore absolutè competens. II. Tanquàm MAJESTATICA, quatenùs singulis *Imperantibus christianis* Vi *Principatûs* est propia, atque intra cujusque *Territorium* Defensione suâ se continet, nec proinde ratione sui ad Ecclesias extra *Imperii* fines positas sese extendit. III. Tanquàm SPECIALIS, quatenùs non pauci fuerunt IMPERATORES, qui *privatas* quasdam *Ecclesias* & particularia *Asceteria* ex singulari Pietatis Affectu, aliove titulo, in specialem Tutelam adsumere, & præ aliis fovere atque tuêri haùd fuêre dedignati.

§. IV.

Quemadmodùm verò ipsa docuit experientia, RESPUBLICAS vel maximè turbari posse *Religionis* obtentu, ità exadverso neminem nisi in *Orbe historico* peregrinum latere potest, ipsas quoque ECCLESIAS obtentu *Advocatiæ* non semel vel maximè gravatas fuisse atque turbatas, cujus Adserti Testimonium omni exceptione majus vel ipsum dabit antiquatum JUS REGALIUM, quod in GALLIA primò adinventum, postea à SUPREMIS ECCLESIARUM ADVOCATIS in *Imperium* quoque fuit introductum, vigore cujus mortui àb intestato *Episcopi* & *Abbatis* Bona mobilia atque Proventus ex hujusmodi mobilibus ad talem ECCLESIAM pertinentibus CAMERÆ IMPERIALI Sede vacante inferrebantur, donec FRIDERICUS II. Imp. indignitate rei commotus solenni *Constitutione* a. 1213. editâ, & in suâ A. B. ad HONORIUM P. a. 1219. confirmatâ ECCLESIAS hoc tandem onere absolvit non tàm ex merâ *gratiâ*, quàm exigente *Justitiâ*, scilicet pro tollendo *abusu*, uti *Imperator* ipse legitur apertè professus: "*illum quoque dimittimus & refutamus* ABUSUM, *quem in occupandis Bonis decedentium Prælatorum aùt etiàm Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt Antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis: ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo rectâ distributione reddantur*".

§. V.

Enimverò nullius propè rei VSUS inter Mortales adeò sanctus est, qui non facilè sensim in ABUSUM poterit degenerare: *Quippe est modus in rebus, sunt certi denique fines*; vnde & omni quorumcunque Jurium exercitio sui sunt Limites, quos noscere apprimè oportet *JCtum* præsertim *Publicistam*, quatenùs IMPERANTIUM interest ipsique *Bono publico* proficuum, dari Viros, qui Jurium Cuique in *Republicâ* competentium Fines legitimos nôrint, & sic ad illa citrà Collisionem intrà justam Sphæram exsequenda possint adhiberi.

§. VI.

§. VI.

Quod proinde ipsum attinet CÆSAREÆ ADVOCATIÆ exercitium, præ primis notandum venit, idem arctioribus *Pacis Religiosæ* àc *Westphalicæ* Limitibus constringi Controversiâ in IMPERIO *Catholicos* inter atque *Augustanos* emergente, ne justis de imminutione Jurium aùt Possessionum suarum querelis ansa præbeatur. Verba tamen: gleicher Schutz, quibus IMPERATOR in suâ CAPIT. art. I. §. X. *Ecclesiis protestantibus* æqualem spondet Protectionem, non nisi relativè ad ea, quæ illis in *Pacificationibus* aliisve *Imperii Constitutionibus* expressè fuerunt concessa, accipi debere, ipsi ultrò fatentur *JCti* A. C. scilicet: HENNIGES *hoc Cap.* §. 31. — SCHWEDERUS in Diss. *de Advocatiâ âb Imp. Ecclesiis protest. non minùs àc Rno-Catholicis æquali Jure præstanda.* TÜB. 1723. — LUDOVICI Diss. *de Protectione âb Imp. Ecclesiis utriusque Rel. in Germ. æqualiter debita.* HALÆ. 1739.

§. VII.

Equidem prætereà vigore mox citati *art.* I. §. I. CAPIT. NOVISS. *Imperator* quà ADVOCATUS præsertim tueri atque defendere obligatur SEDEM ROMANAM ceù SUMMUM ECCLESIÆ PONTIFICEM in ejusdem Juribus atque Possessionibus: ipse tamen *cit. art.* I. veluti REGULA egregiam patitur EXCEPTIONEM arctosque fortitur *Limites* in eâdem CAPIT. *art.* XIV. *per tot.* quatenùs ibidem *Imperator* jurejurando adstringitur, ad particularium quoque Ecclesiarum & *Germaniæ Capitulorum* eorumque *Archi-* & *Episcoporum* Jura, Privilegia, Consuetudines àc Statuta adversùs informes ipsorum PONTIFICUM Gratias, Provisiones, ejusmodi Rescripta, Annatas, Reservationes, Dispensationes, Collationes, atque alia id genus CURIÆ ROMANÆ àc vel NUNTIORUM APOST. Attentata ceù Jura totidem usurpata fortiter atque omni quo possibili conatu protegenda, perpetuòque sarta tecta conservanda, ut proinde augustissimus ECCLESIÆ ADVOCATUS *Sedi Romanæ*, ipsive summo *Pontifici* ex vna atque *Ecclesiis germanicis* ex alterâ Parte, adversùs invicem, intrà justos vtriusque Partis Jurium fines per CONCORDATA positos àc definitos, citrà Collisionem, proportionatam debeat exactamque Defensionem. *Vide* Cl. ENDRES Diss. *de Libertate Ecclesiarum Germaniæ Concordatis vindicata.* WIRCEB. 1774.

§. VIII.

Ad justos in ipso ADVOCATIÆ exercitio Limites ritè servandos AUGUSTI IMPP. in suis DIPLOMATIBUS PROTECTORIIS, quæ certis in specie *Ecclesiis* concedere dignati sunt, rem ita sollicitè egerunt, ut salvam semper

&

& intactam *Ordinarii Jurisdictionem Episcopi* æquè àc *Domini territorialis* esse voluerint. Siquidem DIPLOMATA PROTECTORIA naturam imitantur *Privilegiorum*, quæ Juribus tertio quæsitis & quietè possessis minimè debent præjudicare. Neque tamen necessum est, ut dicta *Clausula* ceù *Jurium Salvatio* ipsi inseratur PROTECTIONIS INSTRUMENTO, quatenùs hæc ipsa per se jàm inesse intelligitur, tanquàm ex ipsa profluens *simplicis Protectionis* natura: id quod scitè deducit erud. CHLADENIUS in diss. *de Diplomatibus Protectoriis salvâ Jurisdictione ordinariâ intelligendis.* VITEMB. 1750.

§. IX.

VInde & Dispositio *Capitulationis Cæsareæ* art. XIV. §. 2. ex rationis identitate certam fundat ANALOGIAM, cujus vigore uti IMPERATOR *Archi-* & *Episcopos Germaniæ* in Controversiis cum *Communitatibus* etiàm *Ecclesiasticis* ordinariæ illorum Jurisdictioni subordinatis in CURIA ROMANA pendentibus, absolutè obligatur protegere adversùs præcipitata summi PONTIFICIS Monitoria, Comminationes, Interdicta atque Censuras, ità à potiori IMPERATOREM met-IPSUM in ejusmodi Causis ad excelsissimum suum *Archidicasterium* mediante Recursu devolutis ejusdem vi Muneris citrà præcipitanda MANDATA S. C. eodem procedere oportet Temperamento, quale aliàs tanquàm ADVOCATUS àb ipso exigere tenetur PONTIFICE.

§. X.

VIt verò de hujate nostro invincibiliter convincamur Adserto, ipsissima adstruere liceat citati *Art.* & *§phi* Verba: "noch auch die Ertz- und Bischöfe im Reich, wann wider dieselbe von denen ihnen untergebenen **Geist-** und **Weltlichen** etwan geklagt werden sollte, ohne vorherige genugsame Information über der Sachen Verlauf und Beschaffenheit (welche, damit keine sub-& obreptio contra facti veritatem Platz finden möchte, in Partibus einzuholen) auch ohn angehörter Verantwortung des Beklagten, wann zumalen derselbe Authoritate Pastorali zu Verbesserung und Vermehrung des **Gottes-Dienstes**, auch zu Conservation und mehrerer Aufnahm der Kirchen, wider die **ungehorsame** und **üble Haushalter** verfahren hätte, mit Monitoriis, Interdictis, und Comminationibus, oder Declarationibus Censurarum übereilet oder beschweret werden möchten, sondern wollen solches alles mit der Churfürsten, Fürsten und anderer Ständen Rath kräftigst abwenden und vorkommen." ex quibus proindè manifesta resplendet

ANA-

ANALOGIA, ipsum etiàm *Imperiale Dicasterium* summoperè stringens intra arctos hujatis ADVOCATIÆ SPECIALIS ità & non aliter justè exsequendæ *Fines*, adversùs expressam *Imperii Legem publicam* & *fundamentalem* vel in minimum *Prælatorum Germaniæ* præjudicium, nullà ratione excedendos.

§. XI.

Accensa insuper sollicitudo & singularis Spiritûs fervor, quêis modò gloriosissimè Imperans JOSEPHUS II. *Ecclesiarum* earumque *Archi-* & *Episcoporum* Jura peramanter curat, in manifesta Luce posita novimus omnes, quùm IPSE in gravissimis plùs semel Controversiis *Sedem Apostolicam* inter & potentissimos *Germaniæ Principes* atque eminentissimos Ecclesiarum *Prælatos* tantum se se Mediatorem vnà etiàm cum Augustissima sua Parente MARIA THERESIA Heröum Fœminarum maximâ interposuerit, ut unita *Ecclesiarum* Vota huic tàm potenti, quàm sollicito sui ADVOCATO Vitam & Felicitatem perennem profundo gratissimoque affectu adhùc hodiè apprecentur.

PARERGA.

I. Sui ipsius Defensionem ùtùt cum cæde injusti Adgressoris conjunctam non tantùm simpliciter licitam, sed adeò naturaliter esse obligatoriam, sustinemus contrà GROTIUM L. 2. C. 1. §. 8.

II. Neque adstipulamur tamen Sententiæ VASQUII L. 1. *illustr. Controv.* 18. æquè occidi posse Principem violentum Subditi innocentis Invasorem.

III. Absurda est Doctrina BESOLDI P. VI. Consil. 291. n. 28. neminem imprimis Germanum cujuscunque Conditionis hominem, non obstante vi debiti moderaminis inculpatæ tutelæ, in Casu violentæ Adgressionis passivæ, ad fugam ùtùt sine vitæ periculo opportunam obligari.

IV. Ex adverso tamen cum STRUVIO *de Vind. priv.* C 4. *Aph.* 7. defendimus, tunc fugam licitè omitti, si quis præsertim Equestris Dignitatis Vir fugiendo summum sibi Dedecus inureret, & se quasi inutile ejus, in qua constitutus est, Societatis membrum redderet, ut vel necessum ipsi foret, illud quod elegit Vitæ genus cum infamia deserere: quùm nulla nos Lex obliget, ad ipsam violenti Hostis nostri Vitam cum tanto famæ Fortunarumque dispendio conservandam.

V.